



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XLVI i. e. [XLIV.] Quanta vi & sapientia tentatos in proposito confirmarit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

sancti euincerent non potuisse quod expetierant, nisi damno illorum concedi. Si cui vidisset literarum studia obesse, quod se inde efferret iactantius, vel nouarum chimeris opinionum adhereret, quamlibet sublimi, ac subtili foret ingenio eum amouebat, addens non esse ad scientias natum, ad quem appositæ non essent scientiæ. In emaculandis priuatorum nauis, artes norat mirè opportunas. Quibusdam incompositi oris, & habitus tradebat ad interpretandum modestiæ regulas, ab se scriptas, iubebatque de illis cohortationes domesticas habere, quibus alios docendo, seipsum docerent, iisdemque argumentis ad earum obseruationem, eadem opera se & illos mouerent. Cui vero ex vita seculari inueterasset aliquid extraneum ab religione, monitorem ponebat caritate prudentem, qui eum obseruaret, & quicquid in eo notasset, quotidie scripto ei fideliter traderet, cuius tanquam speculi consulto illud emendaret. Quamquam hic vsus valde fructuosus mutua admonitionis communis tunc inter nostros fuit; certa enim lege id inualuerat, ut veneris diebus omnes conuenirent recognituri errores suos, qui ab designatis monitoribus quatuor palam narrabantur, & quidem in Collegio Rom. censuræ huius initium à Martino Olauio ducebatur viro apud omnes eximio. Nonnulli vero Ignatio sub serum quotidie indicabant quoties in eo lapsi essent, quod eo authore debellandum sibi susceperant, isque dies coram diebus componens, quantum processissent; vel contra; iis obiciebat, quo vtrunque animos sumerent, vel ad promouendum, vel ad denuo inchoandum. Quandoque etiam grauiore aliquo munere perfunctum ad censuram publicam vocabat, priusquam aliud ei committeret; tradit enim Hieronymus Natalis, se post depositum Rectoris officium, patrum quadraginta permissum examini, & qua vsus in suos fuerat minus consideratam duritiem, & acerbitatem acriter ab Ignatio reprehensam.

XLVI.  
Quanta vi  
& sapientia  
tentatos in  
proposito con-  
firmarit.

Sed nulla æquè re se effudit paternus Ignatij animus ut occupandis præfenti remedio suorum periculis, quos religiosæ perseverantiæ desperatione aut tædio dæmon in Ægyptum prolecebatur: in iis fuit quem ut impetraret, tri-duo apud Deum lacrymis, precibus, afflictationibus institit, omni plâne cibulo se abstinens. Alium noctis silentio, multarum horarum iterata impugnatione, denique expugnauit, consolando, terrendo, rationibus, qua valebat efficacia, configendo, quoad ille in voces, & fletus præ metu, & præ consilij detestatione prorumperet. Ita quoque prolixa concertatione, obfirmatam molliuit vnus duritiem, ut quàm impotenter paulo ante dimitti voluerat, tam supplex ad pedes se illi abiiceret, rogans, & flagitans retineri, pœnam quamlibet paratus subire suæ illius titubationis. At sanctus arctè illum complexus, sit, inquit, hæc eius pœnæ pars, ne te vnquam deinceps Deo seruire pœniteat, alteram eius partem quam commertus es, ex solam ipsemet, cum ad me stomachi dolores redierint. Inter hæc pro ea qua pollebat perspicacitate, ad detegendas motuum radices, si desertionis impulsu conuiceret scelere aliquo incitari, tacita conscientia malè presso; morbi focum aggressus, exstimulabat illos ad confessionem culparum fidelem,



lem, & candidam, gnarus periculi malignitate perpurgata, defixos lethales illius paroxifmos. Ad eam vero confessionem obeundam, si videbantur difficile inflecti, arte utebatur quam sibi olim expertus fuerat felicem; explicabat iis vitam, perditè, vt aiebat, in sæculo actam, quicquid vnquam illic grauius peccasset, veraci quidem velut Christo præfenti, narratione referebat, sed cum eo dolore iisque lacrymis, vt emollirentur infelices, & edomaretur eorum cæcus pudor. Quos ad sinceram confessionem iam dociles, nulla interposita mora iubebat expiari, adeò vt etiam aliquando de media nocte confessarium domesticum exciret ad huiusmodi aliquem audiendum. Nec sua illum fallebat coniectura, mox enim ad se à confessorio redibant supplices, veniamque poscebant volubilitatis, Deo exinde, ac Societati, fidi & stabiles futuri. Harum porro curationum occultam vim quandam ex ipso aliæ ducebant, ad infringendas voluntates mirabilem; alias patrabat maior humana sagacitas excogitandis remediis ad sanationes morborum repentinas, cum sanationis expertes crederentur. Ribadeneiram de quo modo aiebã suafisse multos vt dimitteretur ab Societate, quòd nimis absurdum putarent in cœtu virorum grauium ac pietate præstantium, puerilitates deuorari in quas identidem erumpebat; magno nisu vrgebant demones vt desertione præcipiti, dimissionem præuenteret quam ei Ignatius negabat, nec validiore ad eam machina impellere iuuenem potuere, quam indignati animi auersione quadam ab Ignatio adeo abhorrente, vt non dicam cum eo, more quo prius domestico agere refugeret: sed ne oculis quidem eum sustineret, frustra huic bona verba, frontis alacritas, & affabilitas blandientis, qua prope adhuc pueri placantur. Dissimulauit tamen patientissimè bonus pater, quasi nihil horum aduerteret; nec alteram ei propterea aut agendi speciem, aut oris, vnquam exhibuit. Hunc irati horrorem excepit deliberatum consilium, subducendi se Ignatij oculis, & iurij repetendique quamprimum sæculi. Quod diuino ab iis fauori mox attributum est, qui, & parum in futurum videbant, & illum pridem domi ferebant ægerimè: doluit è contrario vehementer Ignatius, qui vt aliis ipsum pernorat oculis, sic alia amabat caritate: ergo ad se vocat modis omnibus, & rationibus quibus flecti posset illa ætas, conatur à prauo consilio dimouere: sed idcirco in cassum cadebant quod Ignatij odio omnia in peius acciperet. Quare humanam hic opem desperans, multis à Deo precibus contendit Ignatius eam sibi animam donari, factusque conscius impetrati, accersit iuuenem, & verbis tribus ita frangit, vt exclamaret vbertim flens, faciam Pater, faciam, agaturque de Exercitijs ad quæ non potuerat antea ab Ignatio induci; sentiebam enim (ait idem iuratus) vim mihi tantam interius fieri, vt facere aliud non valerem. Exercitia inierat. & confessionis piaculo vitam omnem apud Ignatium purgare voluit, totumque se illi magna fiducia credere. Auditum, placidè, paucis tantum his verbis Ignatius monuit, Rogo Petre, ne velis esse erga Deum ingratus à quo tot bonis ornatus es. Ad quæ (Pergit Ribadeneira) visa deradi ab oculis



squamæ, obfirmatque pectus in religioso proposito, gradu tam stabili ut per annos duos & quinquaginta ex quo id contigit, hoc est 1543. ne aura quidem me leuis hæctenus afflaret Societatis dimittendæ: nihilo minori efficacitate vacillantis pariter tironis iactationem stabiliuit. Erat is Baldvinus de Angelo qui Societatem anno 1551. vix ingressus, retro mox cœpit respectare: retrahebat hominem pellax nescio quæ erga filium fratris tenerritas, vbique is animo, vbique oculis recurfabat, velut barbariem exprobrans, quod cum patris loco sibi esse deberet, esset tamen ab eo crudeliter destitutus, ita suum illum in Societatem ingressum cogitans impietatis, apud Deum, & homines reum, in procinctu erat ut regrederetur, actumque iam erat, nisi plus pro illo Ignatius, quam contra illum dæmon potuisset. Lucratus illum est primum supplicibus apud Deum votis, simplici deinde narratione quæ totum negotium perëgit. Vocat enim nihil minus opinantem, iubet comiter sibi assideat, & quasi cum eo fabulari aggressus, Ego, inquit, Deo me olim cum traderem, essẽmque, ut nunc es, in Dei obsequio nouus, appetitus sum insultu dæmonis permolesto, at quàm ridicule, te quæso aduerte, quàmque mirabili comœatu doctus sim à Deo, vincere. Recitabam quotidie ex libello psalmos B. Virginis, inter icones libello adpictas, erat in qua cognatam, ad viuum expressam videbar cernere. Quoties igitur in eam picturam incidissem toties animus examen fundebat innumerabile profanarum cogitationum, & stolidæ erga propinquos, & affines teneritudinis: hac ut absoluerer importunitate, iam constitueram, ab eo genere pietatis erga virginem abstinere, malebãque mali vitare periculum, quam boni aliquid lucrari: verum deinde, callidiùs consulens, animaduerti plus nimio gaudij me hosti daturum, si eo nitente, tam sancti operis merito abstissem. Impugnabat me puerili iaculo, & marte puerili; & ipse clypeo, ictus eius ludendos putauì. Carta iconem obduxi glutinata, vnaque hac arte & eam oculis, & quam ingerebat cognatæ speciem animo subduxi. Quibus dictis surrexit, & mestum tironem magna, ut in talibus semper benevolentia significatione complexus, & humanissime consolatus, ex cubiculo remisit. Quo vero animo, quàm supra necessarium murato, testantur verba iureiurando ipsius affirmata [protinus, inquit, totus cœpi in lacrymas fluere, iisque piorum sensuum, & cœlestis affectus voluptatibus perfundi, ut quicquid amoris in consanguineos ante contuleram, in Deum cõuerterem nec fratris filium postea nisi velut ignotum, & extraneum cogitaui.] Sed habet quod sequitur paterni amoris inuentum prudens, magistræ artis eo mirabilius specimen, quo videtur minus artificiosum. Obstinauerat germanus quidam nouitius, ad regustandos Ægypti cacabos; rationibus æternis hominem quatere, haud erat aliud quam phrenericum erudire; quò amabilius, & ambitiosius tenebatur, eo ad discessum incendebatur ardentius. Dat ergo Ignatius efræni habenas, quibus imperare non poterat, eique liberum relinquit, manere vellet an abire; vnã modo ab se impetrari sineret, tot mensium quos  
domi



domi egisset, mercedem, aut gratiam; vt in quartum diem discessum differret, sed omni planè Obedientiæ, regularum, & disciplinæ morositate absolutus; hospes, more hospitum ederet, dormiret, laxaret animum, & confabularetur, vtrumque ipsi volupe vertisset. Ludum putauit ludi nouitius, & quamuis morarum impotens, condiciones rejicere adeo commodas, & comes in tempus tam breue erubuit. Hic vero cuiam venire in mentem potuit, extinctum iri hoc ipso ardorem repetendi sæculi vesanum, quo videbatur acrius inflammandus, facultate nimirum suo arbitrio viuendi, quasi licentiæ mundanae promulsidæ? Biduum egerat hac lege, vt exlex ageret, cum animaduertit, ad nocturnam quietem se recipienti mentem sibi mœrore amaro contrahi, qui ad suauitatem comparatus quam cœlo antea hauriebat, illuminauit caligantem, & conscium culpæ suæ fecit, sanctioris vitæ in religione, solutioris in sæculo, obiecto discrimine; illam enim, vt stultis deliciarum ludibrijs careat, alit tamen verax & solida voluptas, ex conscientia vitæ innocentis, diuinæ adoptionis, & gratiæ, spæique aternum beaturæ; hanc vnis caruncula huius, & sensuum affixam illecebris pauci claudunt vel anni vel dies, cum immenso dolore, ream supplicij sempiterni, atque his affatim reuictus, confususque nouitius sapuit. Quatriduanæ induciæ nondum effluxerant, cum ad viri sancti genua prouolutus, suamque incusans stultitiam, iterum se illi fide perpetua mancipauit. Magisterium quoque fuit solertis consilij quo Sacerdotem Belgam Andream nomine tenere conatus est, si vti beneficio miser uolisset, reti enim illi quodammodo expanso iter medium interclusit, quo implicitus denuo, illam denuo perderet, qua se perditum ibat stolidam libertatem. Misit qui rogarent, suum in patriam reditum Laureto dirigeret; illic in adorabili Sacello per aliquod tempus collecto animo versaret, quid & quantum Deus intra sacros illos parietes sua causa fecisset? tum ex se quareret, vnde? quo, quamobrem pergeret? ac si lateres ipsos exprobrantes sibi ingratum animum audiret, denuntiantes periculum in quod præceps ruebat, adspirantesque meliora; rediret sane intra brachia præstolantis, securus discessionem illam, haud alio ipsi quam peregrinationis piæ nomine futuram, ipsamque nihilo, quam antea minus carum: se vero interea supplicaturum Parenti virgini, errantem quem ad eam mittebat, & cui retinendo nec industriæ satis, nec meriti habuisset, non ferret sibi de manibus eripi, nec frustra illic salutem quaesisse, vbi omnes mortales eam inuenissent, Societati misellum, & per hanc filio redderet. Viatici ad hæc non plus iulijs tribus dari illi iussit: quæ parsimonia in tam longum iter, domesticæ quidem egestatis pauperies fuit, sed & exquisitæ prudentiæ acumen, quod pecuniam mutuari, ad commodiorem reuult hominis discessum, etsi ab nostris etiam rogaretur, aiens dissentaneum fore itineris improbi fomitem illi ministrari, qui regressurus sperabatur. Sed in alterius frangenda duritie operosius insudauit. Senensis adolescens, quadrimestris tiro, virtutem monstrabat emeritam, dum se nihil ipsi opposuit. Missus ab

Ludouico



Ludouico Gonzales, ministro domus, ad mendicandum per urbem ostiatim, suum quendam cognatum obuiam habuit, qui probrosum familiæ ratus, quod est apud Deum maximè decorum, vultu, verbisque indignè iuuenem accepit; num puderet illius & vitæ, & conditionis? an excidisset animo pater? an generis color? ecquem scisset vnquam ex eo mendicum egisse? ad eone alius orbe toto, vel modus, vel locus defuisset, honorificè, atque vtiliter Deo seruiendi absque suorum dedecore? saperet denique meliora hoc eius admonitu, à quo tanquam confanguineus amaretur; domum manticam refertret & pannosum centonem, reuerteretur ad se quantocyus, curaturum se illi eiusmodi Sacerdotium quod esset eleemolynæ tribuenda suffecturum, nedum exempturum ab ea turpiter corroganda. Dicens linguam monerat Diabolus, & huic aurem imbecillus, impârque malleo adiecit; domum reuertitur nec lætus, nec ille qui modo exierat: cuique illic prius visa erant ridere omnia; nunc è contrario omnia displicere, tædio omnia, & horrore esse, morderi ipse pœnitudine occulta conditionis despiciatæ, qua suis etiam inuisus fieret, quanto magis vulgo, & externis cumque atro mœrori se permittens haud alio egeat malorum consiliario dæmone, inde ille quamprimum decreuit, genus id vitæ abiicere, in qua sibi dolores statuebat fore perpetuos. Comperta tironis agitatione, causaque illius sanctus pater, & præcipiens animo, Hieronymo Natali sua vice domum tunc administranti, curationem illam fore difficilem, quod totum iuuenem absorbens tristitia, non esset communibus remediis cessura, tria hæc ab se iis addi voluit, præsentis malo maximè opportuna. Primum ne vnquam solitarius maneret, sed continuo adessent qui boni aliquid cum eo loquerentur, vt si à multis impugnabatur dæmonibus, multos etiam Dei famulos haberet auxiliarios; cum autem nocturno omnium rerum silentio, tenebrosus hostis plurimum vtatur vt ausus præcipites, & inopinatam insaniam atra bile affectis suadeat, iussit contubernalem ei dari, quem quoties ipse expergisceretur, statim excitaret, & cum eo aliquid fermocinaretur, ad tenacitatem dissipandam tristium cogitationum; adhæc promittere iussus est, si fixum haberet mundo magis, quàm Christo militare, nobis tamen dierum quindecim concessurum moras, quibus omni planè solutus vinculo regularum, pergeret nobiscum sedere. Postremo hæc si parum iuuissent ad conceptum errorem deponendum, coactis patribus quotquot domi tunc erant, sedatè coram, suum iis animum super eo discussu, eiusque rationibus explicaret, audiretque de illo quæ foret cuiusque sententia: sperabat videlicet illa sui manifestatione tam demissa vel salubriter confundendum, vel patrum cuiuspiam, datum iri à Deo, quod periclitantem conseruaret: tot præfidiis, dæmonum rabies par esse non potuit, eorum ex vnguibus extorta quidem tunc præda est, & tuto reddita: quam postea infelix, denuo gratiam seque vnà miserè perdidit. Claudio quibus prudentem in filios, turbine aliquo iactatos probare statueram Patris optimi caritatem, sapientissima illius erga nouitium cautione. Ducebatur



cebat humilis paries, quo discluderetur à vico publico domus nostra, & adhibebatur ad hoc tironum opera; eorum modestiâ, feruore, suique contemptu generoso, prætereuntes magnoperè afficiebantur, vitroque ad eos per otium spectandos ex primoribus quoque ventitabant. Erat tunc in tyrocinio ex nobilitate primaria, apprimè notus, eaque forsitan ex causa præ cæteris spectantium oculos, & admirationem curiosius trahebat, licet ipse de se cogitari ab iis longè alia reputaret, sibi id pudori verteret, ex quo se alius gloriosulum duxisset. Domo itaque non ausus se condere, & verecundatus oculos, pertranseuntium, hærebat ab iis quam longissimè poterat, obuersisque fere in publicum humeris. Descendebat subinde Ignatius non tam opus, quam operas visurus, contigitque vt circumspiciens, & tironem seorsum ab reliquis videns, pudorem in ore illius, in mente superbiam legeret, quæ illum in vultu pudorem expirabat, & quò, nisi maturè inhiberentur desitura hæc essent prospiciens, accito Bernardo Oliucrio, qui operi præerat; non vides ait, fratrem illum segregantem se procul ab aliis, perperam tentari? expectas videlicet dum se proripiat, & adeo nihili, eius tibi est salus? excusauit minister quod sibi mandatum fuerat, de nouitiis omnibus illic occupandis. Scilicet, infert sanctus, cum id ego mandabam, verabam te prudentia, & caritate vt? Ac post breuem in obseruandis operariis morulam, tironi velut fortuito occurrit, vultuque ac verbis placidè compellans, & tu etiam ad hoc opus? inquit, abi quæso te domum, neque hic præterea compare, non facit ad tuam valetudinem hic labor. Sic semianimum excitauit, & captata ex debilitate corporis medicina, animum sanauit. Iam enim tiro alias meditabatur sedes, vt ipse postmodum narrauit, & vitam priorem mentè designabat. Hæc tamen, vt dixi suorum commiseratio, haud æquè in omnes fundebatur. Illorum erat ferme tantummodo, quorum satus recens in Societate, nondum securas radices egerat. Parens noster, scribit Ludouicus Gonzales, tirones ex tentatione titubantes solet magna suauitate consolari; cæteros vice versa, quos decet tot annis in Societate magnas opes parasse robustæ pietatis, tergiuerfantes præsertim ad iussa obedientiæ, ac priuato iudicio affixos.

Hinc satis appositè attingam aliqua de studio religiosæ disciplinæ quo in errantium emendatione, penitusque vsus est sanctus pater, quodque arduum valde est ita moderari, vt correctione peccati alicuius non fiat peccans deterior. [Nam quemadmodum, non eadem medicamenta, inquit Gregorius Nazianzenus, nec eadem alimenta corporibus quibusuis adhibentur, sed alia aliis, habitâ videlicet, vel sanitatis eorum, vel aduersæ valetudinis ratione, eodem quoque modo animæ diuersa ratione, ac disciplina curantur: Ij porò curationis testes sunt, qui morbis huiusmodi vexantur. Alios sermo ducit, alij exemplo componuntur: Alij calcaribus opus habent, alij freno: Nam qui segnes sunt atque ad bonum ægrè impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt; qui vero spiritu, quam par sit, feruentiore sunt, atque effrenato quodam animorum impetu feruntur, velut equilei

## XLV.

*De studio religiosa disciplina etiam in amicissimos vindicanda.*

*Orat. 2.*

N u

procul